

10

10

I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,
De
**CONSENSU PA-
RENTUM AD NU-
PTIAS LIBERORUM,**

QUAM
AUXILIANTE ATQUE PRÆSIDE SOLO SAPIENTE
DEO TER OPTIMO MAXIMO,

Ut &
Auctoritate atque Decreto

Nobilissima, Amplissima, Celeberrima ac Consultissima

FACULTATIS JURIDICÆ,

in Perillustri Electorali Brandenburgica quæ Duis-
BURGI Clivorum floret Univerfitate,

Pro

GRADU DOCTORATUS,
Summisque in Utroque Jure Honoribus, Immunita-
tibus & Privilegiis, more majorum ritè
& legitime consequendis,

*Publico atque Solemni Eruditorum
Examini subjicit*

HENRICUS JOHANNES VON GANGELT,
OSNABRUGA - GUESTPHALUS.

Ad diem 10 Septembr. horis locoque solitis.

DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typographum.
Anno M. DC. XCIII.

Nobiliss. Ampliss. Consultiss. Spectatiss.

D. JOHANNI von GANGELT,

Amptmanno in Palsterkamp, hujus Urbis Senatori & Scabino, Domino Parenti meo ob affectum sincerum ac verè Paternum, summaque in me collata beneficia filiali & officioso pectore semper omni honore in æternum colendo.

D. PETRO von GANGELT,

Amptmanno in Rheyd, Domino Patruo ætatem suscipiendo.

D. FLORENTIO PETRO

PITTENIO, Jcto atque Causarum hilarioris famæ Patrono, Domino Avunculo ad supremum vitæ halitum honorando.

*Hosce Legalis Studii fructus, meque
simul ipsum, in debiti honoris
& reverentia tesseram*

Grato devinctoque animo
offero & inscribo

HENR. JOHANNES von GANGELT.
Author & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

De

CONSENSU PAREN-
TUM AD NUPTIAS
LIBERORUM.

PROOEMIUM.

DU cum mecum perpendissem, quamnam in hoc magno Juris Oceano, quae mihi disputationis Inauguralis loco esset, eligerem materiam, & nunc huc nunc illuc inclinarem: Praesertim cum incidere illud dictum Salomonis, nihil nunc dicitur quod non sit dictum prius, & hoc tam in nostrâ Jurisprudencia, quam in aliis scientiis evidentissimè apparere viderem: Tandem, (ne solus videar quasi non satisfactorius solennibus hujus Inclytæ Academiae moribus) mihi præ ceteris arripit insignis & eximia materia, de Consensu Parentum ad Nuptias Liberorum suorum; cui licet haud pares mei sint humeri, tamen breviter, longisque verborum ambagibus semotis, eam pro viribus exponere, nec non defendere suscipiam: Ne verò illotis quasi manibus rem aggredi videar;

dear; cum Imperatore in leg. 2. princ. C. de off. præf. præf. Africæ & alibi, in nomine Domini nostri Jeshu Christi piè incipiam.

T H E S I S I.

Regula Juris est *Nuptias non concubitus sed consensus facit* l. 30. ff. de R. 7. adeo ut solus consensus absque mixtione corporum ad matrimonii essentiam sufficere videatur l. 15. ff. de Cond. & demonstr. Consistere autem nuptia non possunt nisi consentiant omnes; id est qui coeunt & quorum in potestate sunt. l. 2. ff. de Rit. Nupt. adeo ut sine consensu contractæ sint ipso jure nullæ princ. Inst. de Nupt. conf. §. 12. Inst. eodem. Mihi autem nunc animus est perlustrandi, solum consensum parentum, quatenus requiritur ad nuptias liberorum; qui definitur quod sit consensus quo parentes nuptias liberorum suorum approbant.

II.

Nuptiis enim liberorum qui sunt adhuc in potestate, consensum parentum intervenire debere, non solum civilis sed & naturalis dicitur ratio princ. Inst. de Nupt. nam hoc fieri debere civilis & naturalis ratio suadet: Naturâ enim nihil æquius est quam ut liberi parentibus obediant, & reverentiam illis exhibeant l. 6. ff. de in Jus Vocando: Imo si in ulla re filii parentibus obedientiam debent l. 2. de just. & jure (ait enim Aristoteles in Politicis c. 4. natura lege liberi parentum imperio subditi esse tenentur,) certe eam debent in negotio quod ad familiam pertinet totam, quale sunt nuptiæ: Itaque in hoc tanti momenti negotio, illo nimirum matrimoniali, Consensus Parentum à quibus tanto labore usque ad eam ætatem educati, minimè est negligendus. Idque non soli scivère

scivere Romani sed & Græci, & extra leges moresque projectæ gentes. Unde Virgo quædam simplicioris animi cum ex Carpocratianis quidam ita eam compellaret: *Scriptum est da omnia à te petenti, putans se sollicitari de matrimonio justo, at tu, inquit, matrem convenias.* Clem. 3. Stromat. Panægyris apud *Plautum in Stichus* aliis verbis, sed eodem sensu, forori respondet:

*Neque est cur studeam nunc has nuptias mutarier
Verum postremo hoc in patris potestate est situm
Faciendum id nobis quod parentes imperant.*

Prolixior essem quàm evidentia rei requirit, si ex historicis huc infarcire vellem, exempla eorum qui, filii cum essent, exorarunt consensum Parentum, priusquàm in alicujus conjugium se præcipitarent, vel qui filias aliorum tangere honestè distulerunt, donec Parentes ipsorum consensissent: Verum natura ipsa nobis satis demonstrat, quod persona Patris filio semper videri debeat *sancta. l. 9. ff. de Obseq. Parent. & Patron. à lib. prest.*

III.

Jure quoque divino hic consensus est necessarius propter reverentiam quam Deus mandavit ut liberi Parentibus exhiberent: *Honora Patrem & Matrem tuam ut sis longævus super terram Exod. 2. v. 12.* & alio loco dicit Paulus, *fili obedite parentibus per omnia hoc enim placitum est in Domino;* Deus porro dixit, *Ite & date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris Jerem. 29. v. 6.* & quod apud Israëlitas non fuerit in arbitrio liberorum inire nuptias, vel ex eo videre est quod teste Scriptura *Exod. 22. v. 17.* ne stupratori quidem licet vitiatam ducere, si Pater vitiatæ eam dare negaverit: prætereà etiam patet ex *Exod. 34. v. 16.* & *Deut. 7. v. 3.* ubi parentibus injungitur quales filiis dare uxores & filiabus accipere

maritos debeant, quod si ea res fuisset in arbitrio liberorum, frustra tribueretur Parentibus, qui de factis liberorum respondere non tenerentur, nisi quatenus ex ipsis obligantur; potius liberis præcipi debuisset, ne cum peregrinis se commiscerent, quàm Parentibus ne id permitterent, si jure id ipsum prohibere non possent. Imo *Parentibus* ista potestas erat ut modo contractas sine parentum consensu nuptias resolvere possent. Cum enim votum Deo factum sine consensu parentum, irritum fieri poterat arbitrio parentum. *Num. 30. v. 6.* eo minus valebit promissio facta homini, ob idem impedimentum si Pater voluerit, quo majori religione tenemur vota exsolvere Deo, quam promissa præstare homini. Et cum nullum ut opinor exemplum in Sacris Litteris inveniri possit, si filiam: clam sine consensu eorum in quorum erant potestate, nuptias contraxissent istas valuisse illis contradicentibus, utile erit præter præcepta, etiam exemplis demonstrare quam necessarius semper fuerit consensus Parentum; Ita Deus ipse tanquam primus & communis Parens conjugem obtulit: Isaac, etiamsi jam quadraginta annis superior *Gen. 25. v. 20.* non properat tamen ad nuptias inconsultas suo impetu, sed expectat, donec Pater mittat qui conjugem sibi deposcat, *Gen. 24.* Jacob cum Labano contrahit, ex mandato parentum. Quod cum Esau neglexisset, meritam Isaaci incurrit indignationem *Gen. 28.* Thamara Regia Virgo, recusat se admiscere fratri sed quicquid hujus facere fas sit, remittit se ad arbitrium Parentis *2 Sam. 13. v. 13.* Egregium quoque exemplum petere licet ex historia Samsonis, qui licet perditè arderet Philistinam, eo tamen audaciæ pro-
 vectus non est, ut amatam abducere auderet inconsultis aut refragantibus parentibus *Judic. 14.*

IV. Et

IV.

Et quidem quantum jus Divinum & Naturale omnium cordibus hominum inscriptum attinet, Parentibus seu Patri & Matri æqualis honor debetur, arg. præcept. decalogi *Exod. 20. v. 12. ibi. honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Tobie 4. v. 3. & 4.* Uti & Jure Canonico sponsa à parentibus tam patre quam matre desponderi jubetur *in Can. aliter. caus. 30. quest. 5.* Pietas quippe parentibus, etsi inæquales sint potestate, æqualis debetur *l. 4. ff. de curat. furios. & tam de matre quam patre maledictio concipitur qui non obedierit. Prov. 1. v. 8.* Clymestra id sibi juris tribuit apud Euripid. in Iphig. *Egone quos peperit liberos non elocem?* Uti & Carolus V. Imperator tale edidit edictum, ne liberi sine utriusque parentis consensu matrimonium contrahant.

V.

Quod si autem contentio incidat inter Patrem & Matrem, Patris sententia standum esse, rectius mihi videtur: tum quod Pater rectius liberis consulere videtur, tum quod ipsa æquitas, ut ait Apul. 4. *Metam: Non patitur habere plus autoritatis uxorem, quam maritum.* Et Aristot. in *Polit. Mas est quam fœmina principalior.* Hinc Ausonius ait, *Sexus utriusque potens sed prævalet Imperio mas.*

VI.

Porro cum Avus Aviaque parentum nomine comprehendantur *l. 51. & 200. ff. V. S.* illis quoque ex ordinatione divina quæ inter descendentes non distinguit, idem honor ac reverentia debetur, ad hunc sc. effectum ut defunctis patre & matre consensus avorum requiratur: qui præcise necessarius non est, si pater ac mater etiamnum in vivis exstant.

VII. Hunc

VII.

Hunc despondendi morem, quo nimirum Parentes liberos, nec hi semetipsos desponderunt à veteribus servatum fuisse docet Cypræus c. 3. de spons. imo planè de decori fuisse puellis suis verbis sese petentibus addixisse, quæ in potestate essent Parentum: in tantum ut puellam inter despondendum arrham accipere, loqui autem non debere, censuerint: Hinc Philo Judæus scriptum reliquit: *Si bene affectus es erga Virginem, accede Parentes ejus si vivant, sin minus fratres aut tutores aut quoscunque quorum in potestate est, & amore patefacto pete illius conjugium ne te ut indignum fastidiant; nemo enim ex puellæ curatoribus tam erit difficilis, ut instantiores preces rejiciat.*

VIII.

Jure Canonico quamvis controvertant quidam putentque, consensum Parentum non requiri, mihi tamen contraria arridet sententia, quæ satis patet, ex *Can. aliter caus. 30. quest. 5.* ubi Euaristus Papa hunc in modum rescribit; *Aliter legitimum non sit matrimonium nisi ab his qui super fæminam ipsam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur uxor petatur & à parentibus sponsetur &c.* Cui concordat rescriptum Papæ Nicolai in *Can. nostrates 3. d. qu. 5.* Fædera quoque consensu eorum, qui hac contrahunt & eorum in quorum potestate sunt celebrantur. Et in *Can. qualis 4. caus. 30. quest. 5.* ubi Leo Papa dicit, qualis debeat uxor esse quæ habenda est secundum legem, *Virgo casta, & desponsata in Virginitate & dotata legitime, & à parentibus tradita;* & pro hujus sententiæ confirmatione ex Jure videlicet Canonico Veteri maximè facit rescriptum Papæ Urbani in *Can. si verum 1. caus. 31. quest. 2.* & *Can. nullius 6. caus. 36. quest. 2.* Nullus neque
viduam,

viduam, neque filiam alterius, extra voluntatem parentum aut rapere presumat aut regis beneficio aestimet postulandam; quod si fecerit ab Ecclesia communione remotus, anathematis gladio feriatur. Et si quis mihi hoc loco Synodi Tridentinae Decretum, matrimonia sine parentum consensu contracta firma habens, & contra sentientes anathemate damnans temerè objiciat, huic cum Paulo ad hunc modum respondere possem, qui contra Dei Verbum conjugia à personis quæ sui juris non sunt, contracta absque eorum consensu in quorum sunt potestate vera & rata esse dixerit anathema sit *Epist. ad Gal. 1. v. 8.*

IX.

Nemo autem fere ejus audaciæ est, qui nuptias sine consensu parentum ab iis qui in eorum sunt potestate contractas jure civili valere dicat. Hoc enim civilis ratio suadet, quoniam patria potestas, voluntatem liberorum ita cohibet, ut sine eâ filius firmiter velle posse non censeatur *l. 4. ff. de R. N.* neque verò interest, utrum parentes illi honesti frugi & boni patresfam: an verò improbi; Pauperes, prodigi sint: tum quod pravis Dominus & parentibus in rebus licitis, jure divino æquè parere tenemur, atque honestis & bonis *ad Coloss. 3. v. 20. & 1 Petr. 2. v. 18.* & Jure Civili filia vulgò quæsitâ jubetur matrem licet impudicam non dedignari *l. 4. §. ult. ff. de in jus vocand.* & in *l. 16. C. de Nuptiis.* quæstio proponitur an alumnus puellam expositam à se educatam, sine voluntate patris qui exposuerat eam, ducere posset? Dicendum videbatur, ejusmodi patrem jure suo cecidisse & indignum esse obsequio parentibus debito. Rescribunt tamen Imperatores Diocletianus & Maximinus, consensum patris qui filiam exposuit & alere noluit, ad ejus nuptias requiri, tum etiam quod improbitas paupertas & prodigalitas non
B
sint

sint modi tollendæ patriæ potestatis. *arg. l. 27. C. de Test. & l. pen. C. de appell.* nam qui sui potestatem non habet, nequit sui copiam facere *l. 21. ff. ad l. 1. de Adult.* & quod filii & filia sint in potestate parentum rectè Catullus expressit in Epithal:

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est

Tertia pars matri data, pars data tertia patri

Tertia sola tua est, noli pugnare duobus

Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.

Et filius patri injuriam facit dum ex illius potestate contra scitum & jussum ejus sese subtrahit. Plagiarium definiunt Jcti qui aliquem ex familiis alterius subducit. Quanto gravius peccat filius qui ex potestate longe artiori & magis pia profugit, & jus suam patri pervertit: non etiam licet filio alienare bona, in quibus pater habet usumfructum *l. f. C. §. filiis autem de bon. qua lib.* qua ratione igitur liceat corpus in quod possidet imperium? Si non licet id quod minus, nec licet id quod majus *l. 7. §. 22. ff. de inter. & releg. & l. 4. ff. de Senat.*

X.

Inter alios quoque patriæ potestatis effectus hic non postremus est quod pater qui alias etiam pro liberis optimum & saluberrimum consilium capere præsumitur *l. 22. §. fin. ff. ad l. 1. de Adult.* moribus ejus probè examinatis filia suæ idoneam maritum sibi futurum generum quærere, & ex pluribus competitoribus magis commodum eligere, filiosque despondere *l. 18. & l. 20. C. de Nupt.* adeoque tam in sponsalibus quam in nuptiis liberorum ne sibi invito hæres agnascatur *§. 7. l. de Adopt.* autoritatem jussum & voluntatem suam interponere possit. *prin. Inst. de Nupt.* & talem patriam potestatem Justinianus patribus dedit in liberos solos quos in potestate habent. *pr. l. eod.*

l. eod. ita ut soli filii fam: consensum patris jure Justiniano petere debeant: Emancipatis enim licet etiam sine consensu patris uxorem ducere *l. 25. ff. de Rit. Nupt.* imo & consensus matris hoc jure non requiritur *l. 20. C. de Nupt.* quia liberos non habet in potestate *l. 4. §. 2. ff. de bon. poss. contr. tabb. §. 5. I. de Adopt.*

XI.

Nepos autem quamvis in avi tantum potestate sit patris tamen consensum simul adhibere debet in cujus potestate mansurus est. *l. 6. §. 1. ff. de Rit. Nupt.* eadem sc. ratione qua consensus filii requiritur, si pater quasi ex eo nepotem adoptare velit, nempe ne invito filio suus hæres agnoscat. *§. 7. Inst. de Adopt.* In nuptiis verò neptis quæ nupta suæ familiæ finis & principium alterius familiæ est *l. 195. §. ult. ff. de V. S.* solius avi consensus sufficit. *l. 16. §. 1. ff. de Rit. Nupt.*

XII.

Dixi filium emancipatum etiam sine consensu patris nuptias contrahere posse *l. 25. ff. R. N.* de filia autem emancipata annis 25. minores sanctiones sunt in *l. 18. & l. 20. C. de Nupt.* prohibentes ne tales filia sine patris sententiâ & consensu nubant, vel matris vel propinquorum, si patre careant, à quorum judicio si voluntas filia discrepet Judicis auctoritas adhibetur & cæteris paribus ulla potior existimatur quem sibi consulens mulier approbaverit. Si verò utroque orbata parante sub curatore sit, liberum ipsi arbitrium datur. Denique si verecundiâ impedita eligere nolit, Judex coram propinquis ea de re statuatur; Brunnem. *ad d. l. 18. & 20. Schambogen. I. de nupt. n. 3.*

XIII.

Sufficit autem tacitus patris consensus. Nam si ante concubitum parentes matrimonium publicè promulgari



& legitime celebrari patiantur hæc non ratihabitio sed consensus initialis videtur: etsi enim in *princ. Instit. de Nupt. Jussus parentis precedere debeat*, hoc tamen ita accipiendum, ut sufficiat scivisse nec contradixisse parentem *l. 5. ff. de Spons. l. 5. C. de Nupt. Paulus enim dicit videri filie patrem consentire nisi evidenter dissentiat. l. 7. §. 1. ff. de Spons.*

XIV.

Dubium non est, quodocumque patris consensus accesserit ab eo tempore, cessante causa, quæ matrimonium impediabat nuptias fieri legitimas, justosque suscipi liberos, sed & liberos ante ratificationem natos legitimos fieri ratihabitione patris subsequuta existimo. Quia ratihabitio est ejus naturæ, ut ad principium cujusque actus retrahatur eique inde ab initio qualitatem suam imprimat adeoque retrocurrat, ut ait *l. 16. §. 1. ff. de pign. l. 56. ff. de jud. l. 1. §. 14. ff. de vi & vi arm. l. 25. C. de donat. Vir. & Uxor.* idque in omnibus quæ consensu fiunt etiam ipso jure nullis *l. 3. Cod. ff. de donat. inter Vir. & Uxor.* obtinere textus & ratio docent. Nam ratihabitio est subsequutus consensus, & præcedentem defectum supplet: & sanè in contractibus cæterisque negotiis, quæ ad sui perfectionem consensum desiderant, ratihabitio mandato comparatur & consensui non est absimilis. *l. 60. ff. de R. J. l. 12. §. ff. de solut.* Imo expressè rescriptum est ab Imperatore Justiniano omnem ratihabitionem prorsus retrahi & confirmari ea quæ ab initio gesta sunt *l. ult. C. ad SC. Maced.* quid causæ igitur est, cur in nuptiis quæ maximè consensu perficiuntur non sit idem statuendum, cum & status liberorum favorabilis accedat, & durum sit liberos quorum parentes legitimi conjuges sunt facti semper manere nefarios, sine ulla spe legitimationis,

mationis, cum etiam incestuosis diuturnitas temporis jura legitimorum tribuere possit *l. 57. §. 1. ff. de Rit. Nupt.* imo liberi ex concubinâ nati justî non sunt quia titulus nuptiarum deficit; si tamen per subsequens matrimonium legitimati, legitimi fiunt, quia defectus illius supplementum retrahitur ac si matrimonium semper fuisset *§. ult. Inst. de Nupt.* Confirmatur hæc quoque sententia per *l. 68. ff. de jure dot.* ubi Justinianus sancit, dotis promissionem non ideo minus valere quod nuptiæ ignorante initio Patre sint contractæ si modo postea consenserit; Denique, ut liberi sint legitimi, non minus interest reipublicæ quam ut dos mulieribus præstetur. Quæ sententia quoque usu hodierno magis invaluit Wesenb. *Parat. ff. de Ritu Nupt. n. 3. & 5. & Struv. Exerc. 29. Thes. 23.*

XV.

Haftenus ostensum est, consensum parentum requiri ad nuptias liberorum, verum hunc parentum consensum ita comparatum esse oportet, ne libertatem matrimonii impediatur. Nam libera contrahendi matrimonii facultas nulla ratione ad necessitatem transferri potest *l. 14. C. de Nupt.* quia inhonestum est vinculo pœnæ matrimonia obstringi *l. 134. ff. de V. O.* permissum igitur est liberis parentum conventiones non præstare pactasque nuptias, nec propterea pœna committitur: Ne huic repugnat jus Divinum: Sicut enim parentes matrimonium liberorum non semper impedire possunt, sed etiam non licet liberis non consentientibus, obtrudere conjuges à quibus ipsi abhorrent. Imo liberi non coguntur etiamsi parentes sub juramento alicui nuptias filiae promiserint. Non enim cogitur filia consentire nec pater perjurium incurrit *Can. t. si verum. caus. 31. quæst. 2.*

B 3

XVI. De

XVI.

De Jure Civili certum est, patri plus licuisse in filia elocanda quàm in filio; propter sexus fragilitatem consilii infirmitatem, & amittendæ pudicitie periculum, ut plurimum enim illæ rationem & judicium in consilium non adhibent, sed cupiditatibus & animi morbis impulsæ, præcipites ruunt. Hinc Ulpianus respondet, *tunc solum dissentienti à patre licentiam filie concedi si indignum moribus vel turpem sponsum ei pater eligat*, l. 12. §. 1. ff. de Spons. filiorum verò voluntatem fuisse liberiores patet ex l. 13. ff. eod. ubi Paulus *filiosam: dissentiente Sponsalia nomine ejus fieri non possunt*: & l. 21. ff. R. N. *non cogitur filiosam: uxorem ducere*, & l. 12. C. de Nupt. *nec filiosam: invitum ad uxorem ducendam cogi legum disciplina permittit*. Ex quibus manifestum est filios non tam arcto jure teneri ut filias.

XVII.

Nuptiæ tamen ex metu reverentiali contractæ quident valent l. 22. ff. de Rit. Nupt. sed non semper sortiuntur felicem exitum. Verissimum enim est illud Comici. *Hostis est uxor quæ invita ad maritum nupta datur*. Ubi invitæ collocantur, puellæ *verendum est*, ait Jus Canonicum, *ne contra Domini præceptum, aut reatum dissidii aut crimen fornicationis incurrant*. Cujus peccati malum in eum redundare constat qui eas conjungit invitæ. C. de Nuptis 3. Caus. 31. quest. 2.

XVIII.

Dictum jam est, parentum consensum esse maximè necessarium. Sed an parentes sine causa dissentienti potestatem habeant nec ne quæstio est, an verò sui dissensus rationem afferre teneantur: Quod ad jus Civile attinet, constitutione Divorum Severi & Antonini coguntur parentes,

entes, qui liberos quos in potestate habent injuria id est sine causa justa ducere uxores vel nubere prohibuerint in matrimonium collocare & dotare *l. 19. ff. de Rit. Nupt.* Parentibus igitur non permissum est matrimonium impedire si id fiat injuria. Unde concludendum, causam esse allegandam. Cujusmodi honestæ dissentienti causa variae sunt, ut si liberi turpi & inhonestæ personæ se junxerint *arg. l. 12. ff. de Sponsal.* item tali personæ quæ non est conveniens dignitati & decori familiæ *arg. l. 18. C. de Nupt.* Quid si pauperi? vid. Lauterbach. *ff. d. t. in C. c.*

XIX.

Jure Justiniano consensus patris & avi ita est necessarius ut ejus ommissio totum vitiet actum & nullum reddat *princ. Inst. de Nupt. & §. 12. eod.* ac proinde tales sine parentum consensu contractæ nuptiæ prorsus nullæ sunt, quod ita coeuntes, nec vir nec uxor esse intelligantur.

XX.

Quæritur autem an conjugium tale sine parentum consensu contractum rescindi possit; puto illam esse vanam quæstionem, nam quod nunquam colligatum est, id resolvere frustra labores: & nemo putet tales nuptias irritas & nullius momenti accedente copula carnali confirmari, hoc enim satis refutat *l. 11. ff. de statu hom.* ubi disertè habetur liberos ex tali conjunctione natos esse injustos; & si votum Deo factum irritum fieri potest propter dissensum parentum ut *præc. §. 3. dixi* qua ratione rescindi non posset obligatio quæ facta fuerit homini: & nihil interest concubitus factus sit nec ne; quia concubitus nuptias non roborat, nuptias enim non concubitus sed consensus facit *l. 30. ff. de R. J.* Absurdum enim esset, rem per se illicitam & vitiosam, novo vitio adjuvari; uti contrahere nuptias absque consensu parentum est res illicita

licita quæ non potest stabiliri per rem magis illicitam qualis est illegitimus concubitus qui autem aliter sentiunt ansam præbent illudendi parentibus, frenaque laxunt indomitæ libidini: Sed si consentiente prius patre contractum sit matrimonium, non ideo postea dissolvendum, quod pater in ea voluntate non perseveret. *l. 32. §. 19. ff. de donat. inter Vir. & Uxor. l. 5. C. de Repud.* & tamen hoc quoque casu pater justâ causâ interveniente, Jure Civili filiam licet renitentem, & recusante genero domum abducere poterat. *l. 15. C. de Repud.* Priscis temporibus etiam laxior patris potestas fuit, hinc queritur Afranius apud Nonium:

*Condignum facinus, adolescentes, optimas,
Bene convenientes, concordia cum viris,
Repente Viduas, faciat spurcitia Patris.*

XXI.

Secunda pœna est quod Dos & Donatio propter nuptias invalidentur & caducæ fiunt, id est fisco vindicentur *l. 4. & Auth. incestis. C. de incest. nupt.* Denique liberi inde nati nec in potestate patriâ nascantur sed spurii & vulgò conceptis assimulentur. *§. 12. Inst. de Nupt.*

XXII.

Quin Statutis nonnullorum locorum liberi inconsultis parentibus nuptias contrahentes tam à parentibus exheredari vel saltem dote privari; quàm à Magistratu etiam propter injuriam parentibus illatam ex officio puniri possint dubium non est. Exemplo est Edictum Dn. Frid. Wilhelmi Elect. Brandenb. gloriosissimæ memoriæ promulgatum 21. Julii 1665. cujus verba sunt hæc: *Verordnen und befehlen hiemit / daß hinführo niemand ohne außtrücklichen consens und bewilligung der Eltern / und deren / welcher bewilligung die gemeine Rechten erforderen / in den Ehestand*

stand treten / heimlich sich verloben / versprechen / sonst diejenige Personen / welche dem zu wider handeln werden / vor keine Eheleute gehalten / und die etwa beschene Priesterliche Copulation und Einsegnung / null und nichtig geachtet / die Personen gefänglich eingezogen / oder mit ander willkürlicher exemplarischer Straffe gestaltten sachen nach belegen werden / auch die Eltern bey ihrem leben keines wegs schuldig seyn sollen / dieselbige außzusteuern / wan schon durch des einen oder andern absterben / des abgestorbenen Vatters oder Mutters / nachgelassene Güter Eigenthum auf Sie / die Kinder / gefallen were. Et Constitutiones Saxonicae in tit. von Ehgelöbnissen. contemptum & neglectum consensus Paterni pro qualitate causæ, amissione legitimæ, exhæredatione, & carcere puniunt. Imo *Carolus V. in hereditariis ditionibus nec non Edictum Regis Gall. à Mommo-rantio 1557. elaboratum*, à parentibus exhæredari permittebat, & à Judicibus puniri vult, qui sine consensu parentum ante 30. annum ducant uxores filiarum: aut ante 25. nubant filiarum: quam legem sanctissimam vocat Thuan. lib. 13. hist.

XXIII.

Quoad exhæredationem tamen res videtur nimis dure nec jure Civili congrua, imo nec filia talis minorennis propterea exhæredari potest. Sed hætenus tantum cum parentes eam honesto marito elocare voluerunt; ipsa vero eum respuit & luxuriosam vitam eligens inhonesto se junxit. Quod si parentes filiam elocare ultra 25. annos distulerint, etiam si in corpus suum peccet, tamen non rectè exhæredatur. Post eam namque ætatem nuptiis liberorum invidere parens præsumitur, si eis honestam conditionem quærere detrectaverit. l. 19. ff. R. N.

C

XXIV. Quæ-

XXIV.

Quæritur an Curatoris consensus sit necessarius? De tutore quæstionem vanam esse putem; cum impuberes quibus solis tutor datur *l. 1. & 3. Inst. de tut.* Nuptias contrahere non possint *pr. 1. de Nupt.* ibi: *Masculi quidem puberes fœmina Viri potentes*, & proinde hoc Jure Civili, de impuberibus qui tutores habent utrum eorundem consensum adhibere debeant, tanquam ad matrimonium contrahendum adhuc inhabilibus, quæri non potest, cum rei non extantis nulla sint accidentia. Quod consensum attinet Curatoris, de Jure Civili nullum est dubium consensum non esse necessarium, expressè enim Gordianus statuit in copulandis nuptiis, nec curatoris, qui solum rei familiaris sustinet administrationem nec cognatorum aut affinium ullam intervenire auctoritatem; sed spectandam esse voluntatem ejus de cujus conjunctione tractatur *l. 8. C. de Nupt.* Eodem spectat responsum Pauli in *l. 20. ff. eod.* ad officium Curatoris non pertinere, pupilla nubat an non, quia officium ejus in administratione negotiorum consistit, & quanquam Tutoribus aut Curatoribus potestas elocandi adscribatur *l. 1. C. de Nupt. & l. un. C. si rector prov.* & parentum manus & locum sustineant, & eorum sit despondere & tradere filias aut pupillas; non tamen eorum auctoritas & potestas tanta est, quanta parentum in nuptiis liberorum. Pater enim dissolvere potest filix sponsalia *l. 10. ff. de spons.* quod tutori non licet: qui citra voluntatem puellæ sponsalia nec constituit nec dissolvit. *l. 6. ff. eod.*

XXV.

Non nego quod liberi consilium Curatorum adhibere debeant, propter infirmitatem enim consilii id omnino fieri debere ratio naturalis dicitur. Præsertim cum
in

in deligenda uxore aut marito, maximum sit momentum ad felicitatem vel miseriam, ad quod prudentia requiritur: & cum hæc in juvenibus tanta non sit, ratio postulat uti aliorum consiliis regantur. Deinde affectuum motibus obnoxiiis levi momento huc illucve impelluntur ut quid ex usu ipsis sit, dispicere nequeant. Quapropter fieri expedit ut juvenes de nuptiis contrahendis Curatores suos consulant & rem totam ad illos deferant. Confirmat id etiam Jus Canonicum *C. non aliter 2. quest. 5. caus. 30.* quo cavetur uxorem à quibus custoditur petendam; quæ causa movit multarum Gentium ac Civium Moderatores, ut publicis statutis idem sancirent. Hinc autem non putandum Curatorum consensum ad nuptias contrahendas ut quidam sentiunt ita requiri, ut nisi inter- venerit sponsalia infringi possint. Probare quidem conantur per *l. 20. C. de Nupt.* in hac lege primo de Patris assensu, secundo de Matris & propinquorum judicio id est consilio agitur: de Curatoris autem autoritate & consensu in hac lege verbum plane est nullum: Hujusque aliter hic mentio non fit, quam quod puella sui juris sub illius defensione esse possit, litis autem inter competitores matrimonii decisio ad ipsum nequaquam sed ad judicem pertinet. Unde non ineptè concludendum si in hoc arbitrium ipsius recusetur, quod multo minus consensus ejusdem ad tale matrimonium requiratur. Neque obstat *l. 5. de Spons.* ubi dicitur mulierem *arrharum nomine in simplum teneri, si minoris ætatis est, sive Virgo sive Vidua, sive per se sive per tutorem aut curatorem vel aliam personam easdem arrhas acceperit &c.* Cum neque hic quicquam de Curatoris consensu habeatur: neque enim sequitur: arrham à sollicitante nuptias accepit, illiusque nomine puellæ sub curâ suâ exhibuit, ergò consensu ejus

ad matrimonium secundum leges contrahendum est opus. Nam & quæcunque alia persona ut ex textu apparet arrham ab alio accipere & Sponsæ offerre potest. Hinc concludo, consensum Curatorum Jure Civili non esse necessarium; ut licet minor sine consensu Curatorum contraxerit, & in eo læsus sit, ne quidem restitutionem in integrum, adversus illud matrimonium petere possit. *arg. l. 9. §. 4. ff. de Minor.*

XXVI.

Quæ hæctenus de consensu Parentum dicta sunt, non aliter locum habent, quàm si Parentes rite fungantur officio suo, hoc est, habeant potius rationem honestatis & utilitatis liberorum, quàm sui privati commodi, quemadmodum natura docet, & à Deo ipsis severissimè mandatum est. Primum igitur, si Parentes autoritate sua abutuntur, & animum inducant ad contrahendum cogere, vel jam maturos & nubiles à matrimonio prohibeant, aut commodam ac honestam conditionem non quærant: tunc Magistratui incumbit autoritatem suam interponere, nec pati, ut hac parentum duritie liberorum pudicitia in periculum veniat: Ut præcedent. §. 18. modo attigi. Secundo si parentes consentire nequeant *l. 25. C. de Nupt. si sc. pater vel furiosus vel mente captus,* & tunc contrahentur coram Præside & nobilioribus in familiâ, qui defectum Patris supplebunt *ead. l. 25. C. eod. §. 28. C. de Episc. audient.* Tertio si pater ab hostibus captus est & intra triennium non revertatur *l. 9. §. 1. ff. de rit. nupt.* vel si ita absit ut ignoretur ubi sit & an sit reversurus, & si triennium effluxerit postquàm apertissimè fuerit Pater ignotus ubi degit, & an superstes sit: tunc non prohibentur liberi ejus utriusque sexus, matrimonium vel nuptias legitimas contrahere. *l. 10. ff. eod.*

F I N I S.

S O N E T T.

Komm / Mutter Teutschlandt / komm: Lasse uns
 ein Denckmahl stifften /
 Mein wehrter Gangel, Dir. Sechsmahl hat Titans
 Handt
 Den Monats = Goldt = Glantz schon zur Himmels =
 Waag gewandt /
 Das Du bey mir studierst. Und Siehe! deiner Schrifften
 Ruhm und Gelehrtheit schwingt Dich in die Sternen =
 Trifften!
 Und Sieh' die Doctor - Krohn / das theure Tugend =
 Pfandt /
 Buhlt iz umb deine Stirn. Wohl Dir! Kein eitler
 Landt
 Kont deinen Helden = Fleiß mit Faulheits = Noht ver =
 gifften!
 Vor deinem Feuer = Geist zergienge der Laster = Leim!
 Wie kan ein Adler sich erhalten in dem Schleim
 Und seiner Augen = Lust der Sonnen Pracht entreissen?
 Wie kan ein tapfrer Löw das Brüllen lassen stets?
 Wohl Dir / mein Freund! Der Lohn folgt auff Ver =
 dienst. So geht's.
 Fahr fort! Dein Tugend = Lob muß Sternen = ähnlich
 gleiffen.

Dem Herren Doctorando, seinem höchstgeschätz =
 ten Freunde und bisherigen Auditori setzet diß
 wenige zu mehrverdienten Ehren

Alexander Arnold Pagenstecher /
 der Rechten Doctor und derselben
 Facultät Professor Ordinarius.

*Nobilissimo, Præstantissimo, & Juris V. peritia
excultissimo VIRO,*

DN. HENRICO JOHANNI VON GANGELT,

*Quum ad Sponsam Themis solenniter deducendam,
Parentum, Cæli & Terra, Consensum his
Thesibus obtineret:*

EPIGRAMMA.

LUcinæ genitum numine dextero,
Quem Pallas niveo nutriit ubere,
Quem Sponsumque Themis plus avet omnibus:
Te cœlebs rigidum forte putent Chorus,
Et dicant; Hymenis vincula Patrio
Ætatè satagis subdere nutui?
Si Patres nequeunt cogere pectora,
Exosumve Thorum obtrudere Liberis;
Dilectamne negent ducere faucium,
Dilectone vetent nubere fauciam?
Naturæne stetit Jureve Gentium,
An vel Jura sient cogere flebilem
Tostos igne fero mortis ad exitum,
Quò Thisbæ geminat funera Pyramus?
Sed Tu, quidquid erit, nescius obrui,
Has solves nebulas lumine Codicum,
Nil diræ metuens sortis Amantium,
Quam certusque voles ducere Phillida.
Et tuto! Quis enim synciput integer,
Te, GANGELT! Generum non cupiat sibi?

*Meritis Amici meriti, cuncta bene vovens
& ominans alludebat*

D. HUGUENINUS,
S. Th. D. & P.

Non est indignum dignis applaudere Cœptis;
 Et laudare Virum Laudis fulgore coruscum:
 Ac pia Vota piis etiam superaddere Factis.
 Applausus tales, Laudes, ac talia Vota
 En meruit Noster, quem cernis, Lector amice,
 Tam docto Calamo, docto magis ore disertio,
 Ex Cathedrâ celsâ pandentem Oracula Juris.
 Materiæ sua Virtus inest, pietate repletæ:
 Ardua nam res hæc defendere jura Parentum;
 Et Pietatis opus; Summus quod Sceptrafer ipse
 Lege Sua Sancta, velut inviolabile mandat.
 Perge piis Cœptis! Sequitur Victoria Pugnam:
 Jamque Tibi video Portæ panduntur Honoris;
 Jam manet en Laurus Doctoralisque Corona:
 Et Deus ipse dabit cunctorum carpere Fructus.
 Elige tum Nympham claro Te stemmate dignam;
 Elige Prudentem, Castam, Formâque decoram;
 Elige Dotatam, Corpus quæ solvere Juris
 Possit, & antlato opibus pensare labores;
 Elige Doctoris qualem decet esse Sodalem;
 Elige cui dicas, Tu Conjux sola placebis:
 Sic, quod propugnas factum tectumque manebit;
 Omnia Consensu fient ac rite Parentum!

*Prænobili, & stemmatis, & ingenii, & doctrinae,
 & virtutis gloria conspicuo Domino Doctoran-
 do, de Parentum, ad Nuptias, Consensu dispu-
 tanti, ita plaudebat*

HERM. HONN,
 Gymn. Duisb. Rector.

Ornatissimo Viro Juveni,

DN. HENRICO JOHANNI VON GANGELT,

*Ætate, antiquitate generis, sua virtute & ingenio florenti,
cum de Consensu Parentum ad tadas liberorum primum di-
sputaret, hanc coronam metricam non tam moris
quàm honoris, nuperique discipulatus ergo
componere & in coma ponere sustinuit*

JOH. SUDEICIUS, ProRector.

TRICOLON TETRASTROPHON.

HUc este Musæ Lesbiades Deæ
Suprema Parnassi gloria nobilis,
Atque Aonis murmur colentes
Nunc juga linquite vestra, sultis.
Lesboa nobis barbita tendite
Vocale plectrum, & blandisonam chelyn
Nostramque nunc solennitatem
Mæonio celebrate cantu.
Solenne festum quo Themys incluta
GANGELTIO donat celebrem locum
Capessere, ac rostris superbis
Impavidè dare verba legis.
Ex jure doctè & differit ampliter
Desiderari vota parentium
Ut nuptiales stent amores
Lege pari superùm docente.
Hi sunt honores, quæis Vigilantia
Ad lucis ignes, & sapientia
Sequax laboris, asseclarum
Otia nobilitant decorè.

Nunc

Nunc perge GANGELT non tremulo pede,
 Manuque pergas non tremulâ, Themys
 Parare Doctoris Corollam
 Præmia digna suo labore.

GANGELT Dianam si tibi Conjugem
 Olim requires, hanc tibi debitam
 Addico *Consensu Parentum*
 Cartesio dubitante nullo.

Poëta versûs quos tibi texuit
 Non effluebant fonte Caballino
 Mirare? dicam. Vena frixit
 Deficiente mero meraco.

Ast Chia vina aut Cæcuba dolio
 Depromta dulci si bene fluxerint,
 Venâ effluent fors ditioze
 Versiculi Dithyrambiani.

S T A N C E S.

UN homme qui n'a pas le genie de boïe
 Sous le poids du vice abbatu,
 Voit avec plaisir la Vertu -
 Et s'èiouit quand on la loïe:
 Il se fait même un doux bonheur
 D'en étendre l'éclat & d'en chanter l'honneur:

Si je sentis jamais les flammes de ce zèle,
 Ne sera-ce pas en ce jour
 Que le Mérite avec l'Amour
 Au sujet de mes Vers se mêle,
 Et que GANGELT tout couronné
 De mille acclamateurs se voit environné?

D

Au

*Au jour, en l'heureux jour de cette illustre fête
 Ou chacun te loue à la fois,
 Moy seul n'aurois-je point de Voix
 Et ne serois-je pas Poète?
 Ne Te ferois-je pas des Vers
 Qui portent Ton éloge aux bouts de l'Univers?*

*Quoy? ne dirois-je rien de tout cet avantage
 De Corps, d'Esprit, & de Savoir,
 Dont nulle part on ne peut voir
 Un plus éclatant assemblage?
 Et pourrois-je bien réténir
 L'Augure que je sens de Ta Gloire à venir?*

*Mais, cher Ami, le Sang ne veut pas que j'y touche;
 Il ne souffre pas que mes feux
 S'étendent plus loin qu'à des Voeux;
 Du reste il me ferme la bouche:
 Il me dit; Tai-roy donc enfin,
 Et partage plutôt l'honneur de ton Cousin!*

Ce sont les sentimens du zele & de
 l'estime achevée qu'a pour
 Monsieur le Licentié,

ROELMAN VON GANGELT,
 son tres-affectionné Cousin
 & Serviteur.

HEer GANGELT, vwie kan doch na vvaerd' uuv Lof
afmalen?

Mijn Herte staet bedeeft, mijn Penne self soud' falen
Te melden u Vernuft, en groote Schranderheên,
Die g'nu verkregen hebt; maer langh hebt om ge-
stréen.

Vaer voort, bevveert uuv' Saeck, gegrondvest op de reden,
Die vvettelick gekampt, en vierigh hebt gestreden,
Wert haest met Eer gekroont! Het yverigh Verstant
Vind sigh vvel eens belaeft, doch nimmer overmant.
Ha! groote vierigheyt van dees nu ingedroncken
Uyt Wijsheyt Schaalen, van de Wijfen in geschoncken.
Waer meed' dient hy beloont? 't Hooft met een Lau-
vver-Hoet,

Daer *Themis* en *Minerv'* haer self voor buygen moet.
Wel aen de *Vvijste Vorst* vvil uuv' sijn bystand geven!
Op dat door uuve Mond het vvare Recht herleven,
Hy gunn' uuv' Gaef op Gaef uyt sijne vvijse Throon,
Tot Eer van Hem, tot 's Ouders Vreugd, en eygen
Loon.


*Dit vveynige heeft sijnen vvaerden
Vriend en Neef ter Eeren vvillen
en moeten op het papier setten*

J. L A C H.
Sr.

Jam doleo si quid, doleo non esse Poëtam,
 Verbaque Pieridum non didicisse loqui.
 Jam piguit si quid, piget ah! non posse canendo,
 Laudis in alta tuæ tollere mite jubar;
 Indolem & Ingenium, Charites, Sophiamque, Themique
 Posse Tuam nulla carminis arte sequi;
 Vota nec & plausus, Thalami non omina, lectum
 Quæ Thema mox Sponso dat subeunda tibi.
 Ah! pudeat si quid, pudet ah! non me esse Poëtam,
 Ac hodie nullo carmine posse loqui.
 Fallor? At en versus! O Dii quam mira potestis!
 Ergone me Vatem tam cito fecit Amor?

*Amoris gratulabundi qualem potuit
 impensissimum hunc expressit
 affectum*

A. V. S. S. Th. St.





Kd 3358

8

7

ULB Halle
003 758 15X

3




TA-206

6-stück felle node

VD.77





Farbkarte #13

B.I.G.



10

J. C.
 UGURALIS
 C A,
 SU PA-
 AD NU-
 LORUM,
 DE SOLO SAPIENTE
 MAXIMO,
 Decreto
prima ac Consultissima
 JURIDICÆ,
 enburgica quæ Duis-
 Univerfitate,
 ORATUS,
 onoribus, Immunita-
 e majorum ritè
 quendis,
Eruditorum
icit
 ES VON GANGELT,
 STPHALUS.
ris locoque solitis.
 HENUM,
 Academ. Typographum,
 XCIII.

